



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

CVI. Benedictvs III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

sacerdotes suos subiectum sibi populū moneat, vt primitias & decimas incunctanter persoluant: has autem dare nolentes, quousq; suppleant, à cibo & potu suspendant. Quod si nec pro hac suspen-  
sione supplere curauerint, sancta communione priuentur. ITEM  
in eadem irrefragabiliter affirmando instituit, vt nullus Episcopo-  
rum vel sacerdotum rem sui tituli usurpare, aut alienare præsumat.  
Qui autem hoc fecerit, canonicam sine dubio subeat ultionem.  
Hic ordinavit Episcopos 43. presbyteros verò 19. diaconos 7. Ob-  
dormiuit autem in Domino 16. Kalend. Augusti.

## C VI.

A. DCCCCLV.

## B E N E D I C T V S III.

BENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos 2.  
menses 6. dies 10. Fuit autem temporibus LODEVVICI filii  
LOTHARII filii LODVVICI Imperatoris. Postquam clerus &  
populus hunc & renitentem elegerunt & iuxta morem in Patri-  
archium deduxerunt, decretum componentes, & manibus pro-  
priis roborantes, vt prisca consuetudo poscebat, inuictissimis Lo-  
thario ac Loduvvico Augustis destinauerunt. Sed legati, qui decre-  
tum deferebant in itinere corrupti in Anastasium presbyterum à  
Leone depositum, voluntate illum præficiendi, declinauerunt, &  
hoc apud Principes prædictos versutia calliditatis effecerunt, qua-  
tenus eorum voluntati consentientes Romam legatos, qui A na sta-  
siun inthronizarent, dirigerent. Qui cum illuc venerunt prædi-  
ctum depositum violenter in patriarchium introduxeruns, & Be-  
nedictum electum, & Pontificali veste denudatum in arcta custo-  
dia seruari iussierunt. Sed demum ex communi voto & sententia  
triduano iejunio cum oratione & vigiliis celebrato ab omnibus, &  
etiam ab his, qui prius excommunicato presbytero fauerant una-  
nimitate nutu diuino in Benedictum conuenerunt, & ita præsenria  
& consensu imperialium legatorū est in Pontificem consecratus.

Hic Ratoldo Episcopo de patricida ita scripsit. *Volumus ut per  
12. annos sub onere pænitentia constituantur, ita ut omnibus diebus iejunii ce-  
lebret usq; ad vesperum, & absq; carne, vinoq; ac pisce cibum sumat, exceptis  
diebus festis ac Dominicis, & à Pascha usq; Pentecosten, Per quinquennii verò  
tempus in Ecclesiam in rare non præsumat, neq; communicet, antefores Ecclesie  
tantiū perseueret, dum sacra celebrantur officia. Cum autem quinq; annorū fue-  
rint adimpta curricula, ingrediatur Ecclesiā, & inter audientes stet cū omni-*

*timore atq; obedientia. Dum vero ad annum peruererit decimum, sancta communionis consors existat, & inter fidelium consortium maneat. Si vero ante constitutum tempus finis vite illius aduenerit, viaticum ei non negetur iuxta traditiones canonum.*

## CVII.

ADCCCLVIII.

## NICOLAVS I.

**N**ICOLAVS, natione Romanus, ex patre Theodoro regionario sedit annos 9. menses 7. dies 19. Hic à Romano clero & populo vnanimiter electus præsente & iubente Cæsare Luduvvico est consecratus. Hic Ioannem Episcopum Rauennatem multa contra canonica instituta præsumentem communione priuauit, qui ter ad Synodus litteris vocatus venire contempsit: sed postea misericordia motus eidem humiliter veniam postulanti communionem reddidit: cui inter cætera in mandatis dedit, ut Episcopos per Æmiliam non consecraret, nisi post electionem Ducis, & cleri & populi per epistolam Apostolicæ sedis præsules eos consecrandi licentiam acciperet. IDEM Pontifex quendam diaconum Apostolicam sedem appellantem ab Episcopo suo inuidiosè depositum officio suo restitui iussit, & quia sine certo numero Episcoporum, imò sine criminis approbatione, & sine oris professione ipse diaconus fuerat iudicatus, omnem illam iudicii sententiam cassavit & ad rectitudinis tramitem Apostolica pietate causam reduxit.

Huius Pontificis temporibus **LOTHARIVS** rex vxorem legitimā, nomine Thietbergā dimisit, & Waldradā concubinā in matrimoniu assumpsit. Huius autem sceleris autores & defensores erant Theotgaudus Treuerensis, Primas Belgicæ prouincie, & Guttarius Coloniensis Archiepiscopus. Vnde à prædicto Episcopo Romam votati fiducialiter venerunt, & summo Pontifici libellum incæsti matrimonii defensionem continentem obtulerunt, dicentes, se nihil plus minus ué egisse, quam in prædicto libello continebatur. Sed multa in eo continebantur, quibus meritò in prædictos Archiepiscopos postea depositionis sententia proferebatur, sicut summus Pontifex dicit in epistola, quam Remensi Archiepiscopo & cæteris Episcopis in regno KAROLI Regis degétibus destinauit; & in alia, quam scripsit omnibus Episcopis, qui erant in regno Luduvvici.

Inquit enim, eos depositos fuisse: primum, quia iussionibus, quas de Ingeltrude & Thietberga, siue Waldrada, fecerat, inobedientes